

regulis artis congruit: & à Rhetoribus, at quatenus ornata est: & à Logi-  
cis, at quatenus eâ conceptus exprimuntur: Hîc verò quatenus obscura ac  
ejus sensus investigandus est. Si enim omnis oratio clara ac perspicua esset,  
nulla obscura, non opus esset ullâ Interpretatione, quæ illam claram red-  
deret, hoc est, sensum ejus patefaceret. Cùm igitur obscuritas orationem in-  
terpreti nostro subjiciat, illamque ejus objectum formale faciat, de eâ no-  
bis latior erit instituendus sermo.

## C A P. III.

1. *Quid sit orationis sensus?* 2. *Quid perspicuitas, quid obscu-  
ritas?* 3. *Hæc esse relata, non absoluta.* 4. *Quotuplex sensus,  
eorumque definitiones?* 5. *Quotuplex sit perspicuitas & obscu-  
ritas?* 6. *Distinctio inter orationis veritatem & verum sen-  
sum.* 7. *Tria in omni oratione consideranda, quorum neglectus  
Theologos in errores abduxit?* 8. *Quid sit obscuritas propriè  
dicta, & quid ambiguitas?* 9. *Quotuplex sit hæc obscuritas?*  
10. *Quotuplex obscuritas unius vocabuli?* 11. *Quid vocabu-  
lorum insolentia?* 12. *Quid Barbaries?* 13. *Orationis inte-  
græ obscuritas ex quotuplici sit causa?* 14. *Ut & integræ pe-  
riodi?* 15. *Nec non integri scripti?* 16. *Quotuplex ambigui-  
tas respectu subjecti?* 17. *Quid & quotuplex sit Homonymia?*  
18. *Et Homonymia à casu?* 19. *Et Homonymia à consiliò?*  
20. *Vocabulorum acceptio quid & quotuplex sit?* 21. *Quid  
& quotuplex sit Amphibolia?* 22. *Quotnam sint Orationis  
acceptiones?* 23. *Quotuplex sit Ambiguitas orationi ore pro-  
latæ propria?* 24. *Ut & Scriptò expressæ?* 25. *Ambiguita-  
tum perplexitas & multitudo.* 26. *Ambiguitatis divisio re-  
spectu nostri.* 27. *Harum Ambiguitatum inter se comparatio.*  
28. *An unius orationis sit unicus sensus literalis?*

1. **Q**UOD in Vocabulis significatio, hoc in Oratione est *sensus*, id  
scilicet, *quod eâ indicatur atque denotatur*. Et cum quælibet ora-  
tio, ut diximus, ex vocabulis confletur ac constet, ex horum  
significationibus etiam illius sensus constabit, atque conflabitur.

2. Hu-